MANTISSA
DECISIONUM
Sacræ Rotæ Romanæ
AD
THEATRUM
Veritatis & Juſtitiæ
CARDINALIS DE LUCA,
EJUSQUE TRACTATUS
DE OFFICIIS VENALIBUS,
& Statutariis Succeſſionibus.

CUM ARGUMENTIS, SUMMARIIS, AC INDICE
Materiarum locupletiſſimo.

VOLUMEN TERTIUM.

VENETIIS, MDCCXXXIV.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

AD

LECTOREM.

DUo DECISIONUM Sac. Rotæ Romanæ, Theatrum Veritatis & Juſtitiæ Eminentiſſ. Cardinalis DE LUCA amplectentium, confirmantium, laudantium, &c. Volumine ante paucos annos in lucem dedimus, que Juris ſtudioſis ac peritis non modò gratiſſimæ, & acceptiſſimæ fuere, ſed & palatum ita moverunt, ut ad uberiorem earum copiam ipſis ſuppeditandam nos monerent. Eorum votis annuentes, moremque gerentes, haſce noviſſimas, & recentiſſimas ab eodem quo aliæ celeberrimo J. U. D. ſelectas, & in ordinem digeſtas, Tibi nunc ſub MANTISSÆ titulo ſiſtimus. Verùm quia in præcedenti Secundo Volumine impreſſum fuit RESPONSUM R. P. D. Severoli in Cauſa *Florentina Succeſſionis ab inteſtato de Ricaſolis*, ideò duximus pro Deciſione prima ad Tractat. *de Statut. Succeſſion.* in Volumine Quarto adnectere DECISIONEM Florentinam in eadem Cauſa emanatam; nec non in fine ejuſdem Voluminis adjicere ALLEGATIONEM RESPONSIVAM egregii J. C. Ferdinandi de Valentibus Sac. Conſiſtorialis Aulæ Advocati. Hoc Te monitum voluimus. Vale.

MANTISSA DECISIONUM SACRÆ ROTÆ ROMANÆ,

ad Librum Primum THEATRI VERITATIS & JUSTITIÆ CARDINALIS DE LUCA,

Qui eſt

DE FEUDIS, &c.

ARGUMENTA DECISIONUM DE FEUDIS.

DECISIO I. *Cavallicen. Vinteni.*

Baro cui ex tranſactione competit Vintenum certorum in ſpecie fructuum, non poteſt prætendere jus exigendi Vintenum ſuper aliis fructibus in dicta tranſactione ſpecificè non expreſſis.

DECISIO II. *Cavallicen. Vinteni.*

Bona præſumuntur libera, & franca, ita ut ex ſola juris aſſiſtentia competat manutentio in poſſeſſione libertatis, etiamſi aliqui teſtes libertati contradicant, cùm in eorum concurſu prævaleant teſtes juris diſpoſitioni conformes.

DECISIO III. *Ferrarienſis Fundi.*

Inſignis quæſtio, an Pontifex in feudis, & conceſſionibus Eccleſiaſticis teneatur ſequi æquitatem, Bart. *in lib. 1. §. permittitur, ff. de aqua quotidiana, & æſtiva*, ſaltem vi directiva, licèt non coactiva, An inveſtitura feudalis, ſeu emphyteutica, facta de bonis Cameræ in ſtatu Ferrariæ, prætermiſſis proximioribus, ſuſtineatur.

DECISIO IV. *Avenionen. Novenniorum.*

Licèt novennia, ſeu quindennia, jure conſuetudinario à manibus mortuis debeantur dominis directis, maximè ubi eorum ſolutio per tranſactionem promiſſa eſt; attamen ſi prima tranſactio per ſecundam fuit novata, dicta novennia non debentur, etiamſi dominus directus per ſecundam tranſactionem ſibi reſervaverit jus dominii directi, maximè accedente obſervantia contraria præſumente titulum habilem ad vindicandam libertatem.

DECISIO V. *Carpentoraſten. Dominii.*

Camera Apoſtolica habet dominium directum univerſale in omnibus ferè locis Comitatus Venayſſini, Sanctæ Sedi immediatè ſubjecti, & ex quibus dominium univerſale probetur, latè in hoc voto diſcutitur.

INDEX DECISIONUM.

A

Avenionenſis Novenniorum, 26. *Junii 1699. Emerix*, Deciſio IV.

C

Carpentoracenſ. Dominii, 10. *Junii 1702. Spinola*, Deciſ. V.

Cavallicenſis Vinteni; 21. *Junii 1697. Priolo*, Deciſ. I.

Cavallicen. Vinteni, 21. *Junii 1697. eodem*, Dec. II.

F

Ferrarienſis Fundi, *Veneris* 9. *Maii* 1698. *Caprara*, Deciſ. III.